...aga

...kat.

Zabenecki Stanisław: Oratio funebris

manibus piis D. Sig. Myszkowski.

ORATIO FUNEBRIS
Manibus Piis
ILLUSTRISSIMI DOMINI,
D. SIGISMUNDI
MYSZKOWSKI GONZAGÆ,

Marchionis de Mirow. Supremi Regni Poloniæ Marſchalci. Corcineñ. Grodeceñ. Soleceñ. &c. Capitanei, Dñi & Patroni clementiſſ.

A

STANISLAO LABENCKI,

Artium & Philoſophiæ Magiſtro.



CRACOVIÆ,
In Officina Lazari, Matthias Andreouieñ:
Anno Domini, 1615.



Pro Ioue pugnarunt Aquila & Leo, quando Gigantum
Sæua cohors, cælo vimqúe manuſqúe tulit.
Quattuor hîc Aquilæ, poſuêre, hîc bina Leones
Caſtra: ferus Mauors hîc magis arma mouet.
Scilicet alta petit virtus MYSCOVIA; *monſtrat*
Hoc Diadema, Aquilæ, bis Leo magnanimus.
Hoc ſoleæ robur, Crucis & pia ſigna, Potentem
GONZAGAE *oſtendunt, robore, honore, Domum.*

Illustri & Magnifico Domino,

D. IOANNI MY-

ſzkowſki, Marchioni de Mirow,

Capitaneo Corcineñ. &c. &c.

Unà cum

Nobiliſsimis ac Generoſiſ: D. D. Ferdinando Capitaneo Grodeceñ. & Vladiſlao &c. Fratribus: lugenti.

IN LUCTUOSIS EXEQUIIS Illuſtriſsimi Parentis Mag: D. V. & in tanta eius Manibus parentantium multitudine, dùm vnumquemquè video, ad ſupremum officium ei perſoluendum properantem: excitauit quoquè animum meum graui hoc caſu perculſum beneficiorum iucunda recordatio. Quid excitauit, imò renitentem etiam adegit, vt ſempiternæ memoriæ, Dominum & Patronum meum clementiſsimum, hanc oratione non tam benè tornata, quàm lachrymis perfuſa, non tàm nitidula (nam quorſum elegantia in publico ſquallore?) quàm lugubri & malè compta, qualem decet dolentis eſſe, ad ſupremum vſquè rogum proſequerer. Neq; ignoro, rem me humeris meis aggreſſum longè imparem; Summorum enim virorum vt ſtatuæ & imagines non niſi ab excellentibus fictoribus aut pictoribus:

bus; ita virtutes quarum sunt illa simulachra à diuinis scriptoribus celebrari debent. Sed cum Illustr: Parentis Mag: D. V. in me luculenta extarent beneficentiæ argumenta, impudētis erat gratiam tacendo obliterare: non hominis videbatur, sed cuiusdam sine sensu saxi, in hac omnium publica comploratione ne vna lachryma, pie vita defuncto litare, & ad quem maximè doloris sensus pertinebat, nihil prorsus commoueri. Non ita mihi cornea fibra est quin (cum Te Fratresq; Tuos nobilissima pectora aspicio, atra veste, vultu deiecto, decessum Parētis carissimi lugentes, consanguineos, tuum & suum miserantes infortunium) subita vi doloris non percellar & Te lachrymarum mearum testem accersam. Tibi igitur Mag: Dñe tibi tuoqúe Illustrissimo Parenti istam doloris mei offero Hecatomben: accipe placido vultu, & Diui progenitoris clienti, succede benignissimus Patronus, in cuius Augustissimi nominis venerationem, me meaqúe omnia studia & obsequia, libenter conuerto.

Vestræ Illustri Magnificentiæ
deditissimus

M. Stanislaus Labencki.

ORATIO.

SI QVIS FORTE MIratur, quid insolitus iste mœror secum incõmodi afferat, quiduè adeò luctuosũ & ipsis ferè lachrymis destinatum tempus admoneat, vnde tantus vbique dolor omnium in Rep: Ordinum, cõquestiones ciuium gemitus, amicorum tristis ac demissus vultus, propinquorum lamenta, clientum lugubris iste squallor. Is si rem penitius introspexerit, & diligenti consideratione examinatam expenderit, piam hanc lectissimorum hominum contestationem, prædicandam populorum consuetudinem, iustissimum ornandæ virtutis affectum omni seculorum memoria tenendum & propagandum esse meritò iudicabit. Graue enim vulnus est, vno ictu eum amittere, quem longa ætas, plurimus rerum vsus diuturnæ artium & virtutum exercitationes Regno huic amplissimo pepererant. vix tanto tamq́ue præclaro viro gaudere incépit, communis omnium parens inclyta Patriâ, & eundem augere fortunis, ornare honoribus (si qui honores diuinæ virtuti pares sunt) cogitat,

ecce rapitur ex oculis ipſius cariſſimum lumen SIGISMVNDVS MYSCOVIVS. Qualis & quantus vir, quis oratione dignè explicaret: dignus certè ob rariſsimum animi & iudicij lumen, & maturam illam virtutem & ſapientiam qui nunquam occidiſſet. Qui enim non ſibi, ſed aliorum vtilitati ſe viuere putat in ciuitate, eum oportet non ſolùm florentem & diuturnam, ſed etiam immortalem (ſi fieri poſſit) vitam viuere. Neminem video ita in medio ſole cęcutire, qui hoc beneficium ſydus non aſpexerit, vel ſuauiſſimo humanitatis illius influxu non fuerit recreatus, quiq; non ſimul cum iſto viro in memoriam veniat amoris Patriæ & antiquæ maiorum noſtrorum probitatis, qui deniq; non erumpat in verba illa, quantus ſplendor cecidit populi Polonici, quanta exterorum hominum admiratio, ſed & ſingulare ornamẽtum Senatoriæ dignitatis occidit. Rex optimus fideliſſimum conſiliorum adminiſtrum deſiderat, nobilitas expoſcit præſidium, omnes commune ſibi perfugium ereptum ingemiſcunt. Sublata è conſpectu noſtro illa virtutum altiſſimarum imago perfectiſima, abijt in tenebras illa omnis iucunditatis lux, è cuius præſentia tot mirabiles amores atque voluptates percipiebamus. Quod ſi in Patriam grati, in nos ipſos pij, in viros actionum

præſtan-

præſtantiſſimarum gloria illuſtres, benè affecti eſſe volumus, quæ ſtatua quis honor ijs debebitur, qui ad clauum Reipub: conſtituti omnes procellarum fluctus, fortiter excipiunt, irarum tempeſtates ſingulari compununt prudentia, diſcordiarum æſtus redigunt ad tranquillitatem & ſi opus eſt, proprij corporis ruina publicum extinguunt incendium, qui in pace ornamento eſſe, in bello ſubſidio ire pulchrum exiſtimant, an non quaſi ad ſalutem ciuitatum diuino prudentię munere miſſos venerabimur? His enim ſublatis è medio, tanquam ſplendidiſſimis luminibus ingruente periculo, fruſtra oculorum aciem in ſapientiam humanitatis & beneuolentię vultu ſerenatam intendas: fruſtrà rerum anguſtijs aut temporum aſperitatibus circumcluſus opem implores, aut ad ſacram dexteram confugias, vt imprudentia lapſum erigat, afflictum conſoletur, ſubleuet deſperantē. Quid mirum? ſi tantus mœror occupauit omnia, moriente tàm bono & ſapiente viro, cuius acerbitatem neq; interpoſita exequiarū mora minuere potuit, imò diutiùs prorogata vehementer auxit. Nimirum, vt ſol à meridie recedens vmbram facit maiorem, ita infelix lachryma, ab illa die funeſtiſſima, quæ nobis ſpem omnem abſtulit, reſiliens acriorem in dies dolendi materiam accumu-

lat, & quanto ſumus bono ſpoliati, in memoriam reuocare conatur. Nam cùm ſit receptum conſuetudine, vt non adeò nos delectent præſentia, ſicut excruciant amiſſa, ſæpiuſque virtutem quam præſentem inuiti conſpiciebamus, mox abſentem quæramus cum inuidia: nunc demùm cognoſcere incipimus, quantum fuerit poſitum præſidij aut ornamenti publici, in Supremo Regni Poloniæ Marſchalco MYSCOVIO. Cuius excelſa virtus in illuſtri loco poſita, quam multos domi ad publica decora excitauit, ignotos & exteros in ſui cultum & admirationem pertraxit, difficilè eſt explicando percenſere. Si tamen oculos conijcias, in tot ſquallore ac luctu veſtitos Ordines: ſi pectorum crebriores tunſiones, & pluſquàm fœmineos vlulatus: ſi templorum parietes depoſito ſplendore ſuo deformatos: ſi deniquè conſuetam vrbis lætitiam, in triſtiſsimi temporis faciem commutatam conſideres, adhuc dubitabis cuius & quanti viri funus ducatur? Quid memorem clientelas, amicos, & ſi quid vſquam eſt, in quod bonitatis illius heroicæ fons liberaliſſimè & ſuauiſſimè decurrebat, totum id concidit, exaruit, omnemque priſtinum honorem depoſuit. Neque ego, qui Patroni mei deſideratiſſimi, beneuolam in me propenſionem abundè teſtatam habeo, doloris

loris istius expers sum, imò proprium quendam percipio, quòd in tot afflictis & consternatis animis lachrymando vix gratus esse possum. Quicquid enim collectum erat dicendi aut scribendi exercitio, quod ipsum fuerat exiguum, id omne insignis iste casus cripuit. Quanquam præsente animo & omnibus alijs integris, imò affluente copia Tullianæ orationis, occurrentibus etiã spontè veterum lamentatricum & grauissimorum scriptorum nænijs, maximè subuereor, ne & in illis affectuum varietas, & in his dicendi maiestas desideretur. Tantúm negotij accipimus, cùm admirabilem rerum gestarum excellentiam leuandi animi causa ornandam suscipimus. At cùm propositum non sit dolorem morte MYSCOVII, excitatum augere, eiusmodi enim est, vt ei nihil addi possit, nequè præstantissimas actiones ipsius pari eloquentiæ gloria celebrare. Verùm vt aliquomodo ingratitudinis notam effugere valeam, ob tàm illustrem voluntatis significationem, heroicæ vitę ac factorum dulci recordatione dolorem paulatim lenire contendam. Neque alibi quærenda est leuatio, quàm vnde vulneris est initium. Si enim contemplor principis viri natalium splendorem aut pietatem & religionem in Deum, linguarum peritiam, singulares animi & corporis do-

tes, præstantissimorum in præcipuo Christianorum orbe virorum summam beneuolentiam; maximos quibus in vita functus est honores, illam heroicam liberalitatem, animi fortitudinem, multas alias diuinitùs illi concessas virtutes, imò ipsum quod caput est, omnium laudationum fælicem, & Christiano homini valdè gloriosum, ex hac vita discessum, quis non facilè in erectã quandam rerum adeò magnarum imitationem aut admirationem conuerteretur, quæ enim singula singulis à munificentissimo bonorum largitore Deo tribui solent, quasi vinculo quodam connexa in vnum hunc virum confluxerunt. Verùm cùm à longa maiorum prosapia deriuata gloria tribus potissimùm rebus conseruetur, augeatur, illustriorque reddatur. Religionis scilicet non falso & fucato superstitionis errore, sacrilegos ritus execrante, sed syncerae veritatis & nunquam obtenebrante perfusa reuerentia, quæ bonæ beatæq; vitæ fundamentum est. Eruditionis & sapientiæ excellentia, hæc enim est vberrimum alimentũ Rerumpub: & imperiorum firmissimum fulcrum. Denique militaris disciplinæ gloria, quæ florentem diu pacem ab externorum incursionibus tuetur. In his noster Heros, cum omnes suas cogitationes, omnes vigilias, omnes labores, consumare sui

re sui officij esse in telligeret, eò dirigebat grauissimas actiones suas, ex quibus aliquis earum rerum splendor eluceret, mentem, animum, oculos; labore, contemplatione, vigilia, obscuratos fatigatos, cadentesque aliquo pio, erudito, vel forti opere retinendo. Magnum quidem est ex clarissimorum auorum & attauorũ sanguine ortum duxisse, maius accepta à maioribus in Senatu loca splendidissima propria virtute & industria meruisse, at longè maximum noui honoris lucem domum intulisse, posteritatique suæ altiori loco, signum ad se imitandũ erexisse. Nempe generosus ille vir, nõ modò domi cùm nobilissimis ex equestri ordine, aut amplissimis ex Senatoria dignitate, sed etiam cùm præstantisimis Heroum & Dynastarum Illustrisimis pari ad laudem impetu cucurrit. Hoc verò illi bonum tàm pulchrum pietas inprimis erga Deum singularis conciliauit, cuius ille inter magnas virtutes, maximæ præcipuam habuit rationem. Sciebat optimè imperiorum & regnorum maiestatem hac inniti, ab eadem bonorum tàm internorum quam etiam externorum perfectam fœlicitatem optimè sperari, quæ fortunam non in consilio, sed in imperio habet, omnium actionum optatissimum euentum deberi; legum authoritatem, magistratus reueren

tiam

tiam, populi obedientiam ex hac ipſa oriri, & per eam ſanctiſſimè cuſtodiri, ideoque nullum vnquam negotium etiam grauiſſimis publicis expeditionibus requirẽtibus aggrediebatur, quin prius mentem ſubmiſſè deuotam, coram diuina maieſtate effunderet, vota & preces ei à quo omne datum optimum eſt offerendo. Quo animi robore, quaué conſtantia ſemel datam Deo fidem vel ſeruauerit, vel propagauerit inde conijcere licet, quod à nulla re fuit ita alienus, quam ab illis ſalebris & lacunis putidiſſimis eorum hominum, qui ab antiqua maiorum ſuorum religione ad noua pſeudoprophetarum dogmata, à puriſſimo Romanæ Eccleſiæ fronte, ad turbidiſſimas ſynagogarum ſentinas deſciuerint. Quoties ille in priuatis vel publicis actibus aliquos contra religionem, aut eos qui diuino honori dicati ſunt inſurgentes repreſſit, quoties callidiſſimorum hominum inſidias anteuertit aut perfregit. Nihil illo præſente detrimenti aut diminutionis accepit vnquam Clerus, ita ſaluberrimis conſilijs inſtructus, ita Catholica animi fortitudine enutritus, ſuperbos inſolentium hominum ſpiritus demoliebatur. Confirmant hunc ipſius animum tot Comitiorum Senatus conſulta, imò ipſa loquuntur templa, in honorem Dei ex fundamentis erecta, & annuis ijſq;

libera-

liberalissimis dotata prouentibus, quantum ille pro tuenda & amplificanda religione contenderit, obquam (si ita fieri oporteret) non modò cōminationes perditissimorum hominum, dicam grauiùs audacissimorum gladiatorum licentiam spernere, caput ipsum, pectus denique certissimis periculis obijcere, dulce & decorum existimaret. O diuinam planè vim, ô prædicandam & omni laude dignissimam virtutem! quis, quæso, hanc, etiamsi odio aut inuidia suffusus, non amauerit, si virtus in hoste quoquè diligitur, quis non summa prædicatione dignā esse iudicauerit, si nulla gens adeò barbara, nullus adeò crudelis populus, nullus terrarum angulus ita ab omni humanitate remotus est, qui non putaret Deum esse præcipuo quodam animi cultu venerandum. Iam verò quæ tanta dicendi copia, quod tàm copiosum orationis flumen reperietur, vt sapientiæ encomia, quæ in ore omnium celebrantur, non dico celebrando sed vel leniter percensere attingēdo possit. Nullam siquidem cognitionem libero homine dignā, quin in ea probe versatus multumque exercitatus fuisset reliquit, nullam scientiam grauem & recon ditam, quam non priùs castigatam concoxisset reposuit, nullum doctrinæ studium omisit, cui non consuetudinem frequentem adiunxisset. Omnes

 difficul-

difficultatum radices euellere, occultas & admirabiles rerum cauſas perſcrutari & cognoſcere, Hiſtoricorum & Poëtarum libros euoluere, prudentiæ ciuilis abdita ſacraria penetrare, toto conatu nitebatur. Quid multis? nulla prorſus ſelectioris literaturæ dogmata, tàm ex veteribus, quā noſtri ſeculi ſcriptoribus reperires, quibus ille ſedulò animum ſuum non deuouerit. Neque verò his contentus vir magnanimus ad maturiores fructus appropinquare, priuatis & publicis rationibus innixus admodum expedire arbitratus eſt, non his tantùm anguſtis finibus & arctatis cancellis conſiſtere, ſed in remotiſsimis orbis receſsibus ſcientiam latitantem, ipſius incredibili ſtudio inflāmatus perſequendam ſibi eſſe ſtatuit. Peragrauit Italiam, luſtrauit Galliam, alteram fœcundiſsimarum virtutum altricem, alteram bonorū ſtudiorū genuinā & veram matrem coluit & obſeruauit. Obuerſabatur illi nempè ob oculos, quem Homerus ſpeculum vitæ humanæ vocat (Vliſſes) qui extincto Troiani belli flagrante incendio, multorum hominum mores cognouit & vrbes, multarum linguarum peritiam didicit, nullis calamitatibus, nullis aduerſarum rerum periculis ſuccumbens, vt ex ipſis prudentiæ & ſapientiæ fontibus hauriret vberiùs, illarumque nationum, mores, le-

ges,

ges,instituta, iudicia, consuetudines, quæ omnia ad prudentiam comparandam non paruo solent esse adiumento cognosceret. Inde reuersus singula ex his ornamenta tanquam sedula, & operi suo intenta apis, flosculis suauissimis delibatis, primùm domi suæ forisque virtutum quosdam fauos extruebat, vt hinc ad Reipub: vtilitatem, ac integritatem plena afferet aluearia. Vidit perspicacissimo sapientiæ oculo, sine horum præsidio, nullam vnquam Rempub: nullum imperium, nullam prouinciam diu consistere, aut constitutam (si tamen aliqua potuit constitui) florere, & benè ad tempus permanere. At postquam has virtutum Myriadas, hæc non adumbrata sed expressa, & fideliter consignata in animo artium ingenuarum simulachra, præclaras etiam dotes, non tacendis quibusdam facinoribus insignitas, quæ magnum sibi vbique nomen peperére coäceruauisset; protinus omnium ora in se vnum conuersa, oculos diligentiùs defixos videt, auxerat enim eius famam incredibilem expectatio iucundissima, expectationem ipsius aduentus, admiratioque superauit. Cuius magnarum virtutum odor, cùm sapientissimi Regis SIGISMVNDI TERTII animum afflâsset, acciuit virum, bonorũ ciuium amantissimus Princeps, cúmque animaduertisset consilio gra-

uem, induſtria in agendis dexteritate in conficiendis negotijs ſingularem, ornauit inſignem prudentiam, ampliſsimo honoris qui tunc acciderat teſtimonio, Capitaneum primò Petricouieñ: mox ſecretorum Regni conſiliorum participem fecit. Accedente poſtea meritorum magnitudine, acceſsit ſummus in Repub: honos, Supremi in Regno Poloniæ MARSCHALCI. Quod ſanè diuino factum eſt conſilio; vt enim vmbra nunquam recedit à corpore, ſed præcedit vel ſequitur ſemper: ita dignitatis ſplendor, virtutem etiam renuentem ſequatur neceſſe eſt. Declarauit hoc progreſſu temporis MYSCOVIVS, ita enim grauiter & conſtanter, integrè & incorruptè geſsit Magiſtratum, vt Maximi & Potentiſsimi Regis ſpem de ſe conceptam, non æquauerit modò ſed ſuperauerit, quoque maior eſſet poſtea rei gerendæ difficultas, eò maior in eo virtus appareret, nec quiſquam tanta concipere potuit quin maiora ſemper præſtiterit. Nullum negotium tantis difficultatibus irretitum reperiebatur, in quo fidem & dexteritatem ſuam non probaret, nulla cauſa tàm dubia & anceps, quam ſingulari prudentia non expediret, nihil tàm graue quòd non ſuſtineret, nihil tàm occultum quòd non antè præuideret, nihil deniquè tàm magnum quod ſine eo in

Repub:

Repub: actum tractatumúe fuisset. Consultabat quæ agenda erant cunctanter, exequebatur quæ decreuerat maturè, nunquam submittendo animū ad quæcunque sublimia natum. Atquè vt nobilissimæ palmarum frondes, quò grauiori pondere ad terram deprimuntur, eò maiori connisu eriguntur. Sic animus excelsus maiora publici muneris negotia grauioresque curas altiori quadam virtute superabat. Quantæ dignitatis fuit illa persona quam illi ante paucos annos S. M. R. imposuit, dum in illustrem & vndique potentem Austriacam domum mitteretur petiturus nuptias Serenissimæ CONSTANTIAE Reginæ Poloniæ, quam nunc summa cum voluptate aspicimus, pulcherrima & gratissima prole parentem generosissimā, quid dico generosissimam? immò pupillorum & afflictorum omnium matrem & Dominam liberalissimam, quę inserta nostro sanguini vberrimos in Regnum hoc amplissimum effudit fructus, oblita sui, oblita domus paternæ, vt non ita iam lac lacti sit simile, atque illa nostris moribus & affectionibus. Hoc Germaniæ decus & quasi dulcissimæ parentis oculum dum studet in alienā terram asportare quid non tētauit? quas ibi dexteritatis, industriæ, sapiētiæ opes expromere, quos tunc labores, quas exorbere molestias, quā deniq; maie-

ſtatem tāti Principis tueri oportuit: ſuſtinuit ille omnia, atq; ita ſuſtinuit, vt ex illa autoritate dignū iudicarent, qui Regiæ dignitatis fidei virtutiſque exemplar ac perfectā effigiē in ſe vno circūferret. Boni ciuis eſt & Patriæ amantis Rempub: conſilijs adiuuare, vigilantibus oculis excubare, impēdentes procellas exitium minitantes ſedare, inſuper omnem ſuam qua viuitur ſubſtātiam pro ipſius incolumitate profundere, propriam ſalutem communi ſalute poſteriorem ducere. Quis hoc in MYSCOVIO tanquam in copioſiſsimo bonarum virtutum refertiſsimo promptuario non videat? Nihil dico de facultatibus quas ille ſibi à fortuna conceſſas in Patriæ vtilitatem, toties contulit. Etenim vt ſanctiſsimis Patriæ laribus ſacrificaret vitam ſuam, & ſi quid carius vita pro Repub: in cōfertiſsimas calamitatum centurias, prodigaliter proijcere paratiſsimus erat. Sæpènumero turbulentos fluctus comprimere & tranquillitatem tanquam aliquis benignus Neptunus Regno ſuo inducere, quorundam nauigia in difficultatum ſcopulis hærentia, rationis ſuæ tridenti alleuare, expedire, varios ſuperandi modos tentatos infirmare, cum viris magni iudicij & profundæ eruditionis rationibus congredi, tela omnis generis argumentorum in ſe contorta elidere.

dere. Nec mirum? quem etenim eius in dicenda ſententia grauitas non permoueret, quem authoritas ad aſſentiendum non impelleret, quis in legibus interpretandis prudentiam admiratus non acquieſceret, in controuerſijs dirimendis facilitatem, in ſedandis inimicitiarum motibus potentiam, non magnifaceret, in ijs quæ recta & ſalutaria erant proferendis libertatem, in exequendis conſtantiam non amplecteretur? Quid multis! Omnia officia perfecti Senatoris & Supremi MARSCHALCI optimè expreſſiſti. Sapientiſſimi Regis voluntati prout par fuit obſecundaſti, quoties curam Reipub. capeſſere opus fuerat, nullam moram interpoſuiſti, nullam occaſionem negle-xiſti, talem te eſſe oſtendens, quem non fortunę cęca temeritas non iudicium inconſtantis vulgi, non repentina turbatoris alicuius authoritas, ſed cælum ipſum, vel potiùs ipſe cæli conditor virum Reipub: donaret. Nec toga ſolummodo aptiſſimus fuerat hic vir, ſed & vbi quis increpuit belli tumultus, ſtetit forti & infracto animo ad pugnã pro Patria vel cum Patria: quem non excurſiones perturbare, non hoſtium impetus infeſtare valuerunt, non terrebatur multitudine pugnantium, non telorum vndiquaque volitantium crepidine percellebatur, nec globorum fragorem expaue-ſcebat.

ſcebat. Sed veluti Marpeſia cautes, vincebat magnitudine ſua & conſilio magnanimitatem, non dicam temeritatem, audaciam animi fortitudine, furorem & nimiam excandeſcentiam manſuetudine, pertinaciam conſtantia; feſtinationem cunctatione, nullis omnino impoſturis labefactari, nullis periculis infringi, nullis machinis expugnari poterat. Quid ego nunc comitatem affabilitatem, humanitatem prædicem? quarum vnaquæq; maximè homini in eminenti dignitatis gradu conuenientiſſima, in eo tanta erat, vt neminem aut aſpectu, aut colloquio ſuo arceret, omnium poſtulata libenter cognoſceret, nihil iuſta petentibus denegaret, ſolatium afflictorum, patrocinium oppreſſorum, perfugium innocentium commune appellaretur. Si quid negandum aliquando fuit, ea ſermonis lenitate vtebatur, vt eos quoque quibus negabat æquos à ſe placatosq; dimitteret. Et licet ſemper ab omni labe ſuperbiæ quæ turpiſſima conſpergit macula, virum Principem, alienus eſſet; tamen in perſona & officio publico grauitatem humanitate temperabat, modumque in ſermone qui color quidam iudiciumque animi infallibile eſſe ſolet, hunc tenebat, vt non nimis celeriter, incautè, curioſè, & verbis exquiſitis, ſed grauiter, circumſpectè, manſuete, ac breuiter, idq;

neceſ-

necessitate vrgente, animi sui sensa explicaret. Pleni sunt loci omnes liberalitate ipsius, quam priuatim & publicè factam, multi passim loquuntur & loquentur; nam suis opibus multorum inopiam subleuauit, sine contractione frontis, sine asperitate vultus, sine dolore cordis. Quominùs verear ego illum Alexandro etsi tanto Regi conferre, quem frequenter gloriari solitum esse legimus, quod à nemine liberalitatis & benignitatis studio superaretur: nihil enim ei potuit gratius accidere quàm si beneficentiæ occasionem dedisset. Nimirũ multò præclarius & laudabilius esse arbitrabatur beneficiorum quàm trophæorum multitudinem post se relinquere. Cui ad immortalitatem certissimæ viæ dum incumbit diligentius, summa cum animi distractione & valetudinis iactura, attritusq́; vel potiùs confectus, se paulatim debilitari ac in dies magis ac magis, à durissima morborum vi superari fereq́; omnem ex intimis medullis vitalem calorem euocari cognoscit, excurrendum sibi, reficiendi animi & corporis causa ad exteras nationes censuit: vt administrationi publicæ, cui totum se destinauerat, magis prodesse quod in votis semper habuit potuisset. Bone Deus? quis tum dolorem abditum in penetralibus cordis & extra prorumpentem non sensit; expallescebant

triſtes vultus propinquorum, vocem haud emittendo retinere exoptabant, gemitus ſanguine iunctorum exaudiebatur, lamenta ornatiſſimarum filiarum perſonabãt. Nemo erat qui ſingultus prohiberet, qui à ſuſpirijs vacaret, qui ſibi à lachrimis temperaret, qui mæſtiſſimam vocem comprimeret: Senatores ſuum conſiliarium, Patria filiũ, Reſpub: propugnatorem, amici protectorem, ciues defenſorem, famuli benefactorem, Præfecturæ iudicem æquiſſimum & vigilantiſſimum, ex conſpectu ſuo abire conquerebantur. Vicit tamẽ ratio publici boni, vicit amor Reipub: diſceſſit mæſtus mæſtos deſerens, Patriæ dulce ſolum relinquens. In quo ipſo itinere qui & quantus vbiq́ue habitus fuerit ei honos longum eſſet percenſere, ſummus quidem certè, ſiue DVCVM Germaniæ, ſiue Italiæ Principum occurſum & ſplendorem, qui obuiam veniebant equitum atq; peditum ſiue apparatum & magnificentiam qua eum vbiq; excipiebant, intueri voluiſſes, certatim ad videndum & ſalutandum fauſtis acclamationibus appropinquabant. Nec immeritò, cum nullũ Regnum, nullum imperium, nulla Prouincia plurimorũ ex eadem proſapia longa ſeriè promanantiũ celebratæ virtutis & dignitatis quas in Auguſtiſſimo huius Regni Senatu exequebãtur; Epiſcoporũ

Palla-

Pallatinorũ aliquãdo inauditæ & peruagatæ fuerint. Non degenerauerat à maioribus ſuis SIGISMVNDVS MYSCOVIVS, quæ enim ora Chriſtiani orbis tàm deſerta, quam non peragrauit: quæ remota natio, quam non adierit: quis Rex, quis Princeps tàm longè terrarum diſsitus, quo cum negotia magna non tractauerit; in ſumma toto eo, quo functus eſt ſuo Magiſtratu videbis expreſſa veſtigia, declarata exempla fauoris & amoris, Magnorum, Franciæ, Germaniæ, Vngariæ, Hiſpaniæ, Regum potentiſsimorum. Inter tot clariſsima Principum monimenta, non poſſum præterire VINCENTIVM GONZAGAM, florentiſsimum Mantuanorum Ducem, qui ob admirationem maximarum virtutum MYSCOVII, nobiliſsimæ ſuæ familiæ inſignia conceſsit perpetuò amicitiæ & conſanguinitatis quodam fœdere coniunxit, & in omnem poſteritatem transfuſam fide & authoritate firmiſsimè ſtabiliuit. Sed hæc, & multa alia, quæ ſingula, multis maximo ornamento eſſe poſſent, ſummam animi moderationem non immutauerunt, grauiſsimis ſummorum virorum de ſua virtute iudiciis, non deſeruit veterem illam & valdè familiarem ſibi facilitatem: non ſecùs vt aurũ quamùis modo ſic, modo aliter ab arte transfiguretur, atq; ad varias ornamentorum ſpecies tranſ-

formetur, permanet tamen id quod eſt, nec mutationem patitur. Sic ille, licèt aliud ab alio per gradus obtinuerit regimen, perueneritque ad ipſum honorum faſtigium, idem tamen permanens, non in iiſdem rebus, eandem conſtantiæ formam, eundem animi habitum conſeruauit. Cæterùm cùm quies ei tandem aliqua & relaxatio, â laboribus deberi videretur, emenſis tot itineribus, ô ſpes inanes! ô cogitationes fallaces, exantlatis tot laboribus. Heu Patria, heu familia, multis maiorũ inſignibus clariſsima, (nec enim iſta ſine lachrymis, & ſine intimo quodam ſenſu doloris, tractari poſſunt.) Ecce in decurſu anni eiuſdem immatura morte, (omnis enim eſt immatura, quæ bonis nunquam eſt matura) magnus Heros occubuit. Non fuit tamen ita proſperus è corpore exitus, quin eum multò antè præuiderit, & inſigni animi patientiâ, vt decet Chriſtiani animi, robur exceperit. Diem quippè mortis adeſſe proſpiciens, diem illum ſalutis adeſſe dicebat, curiſque omnibus ſecularibus amandatis, in eo ſibi omnes cogitationes vſque ad extremum ſpiritum figendas, ſanctiſsimè proteſtatus eſt. O graue vulnus, quo Poloniæ lumen extinctum cecidit! dolet ſublatum Reſpub: ſuum ornamentum, obſcuratam ſuam gloriam: conſanguinei conqueruntur, excluſam

ſibi

ſibi ſpem, amici ereptam ſuauitatem ingemiſcũt. Non eſt opus mercede eliciamus præficarum pullam & lachrymam, tota Prouincia eſt luctus, tota familia imber lachrymarum. O funus genti Polonæ acerbiſsimũ: ô ſpectaculum Domus IASTRZEBIORVM triſtiſsimum, durum nuncium propinquis, acerbus dolor coniugi cariſſimæ, luctus cariſſimorum liberorum indefeſſus, quæſtus & lamenta hominum lectiſſimorum iuſtiſſima; quis ita inhumanus qui non ſuſpiret, præciſum columẽ ciuitatis intuitus nõ perhorreſcat. Itanè dira mors nullum precibus vniuerſorum ante tuum ineluctabilem aduentum locum relinquens, nimis inhumaniter appropinquaſti, appropinquando rapuiſti, rapiendo enecaſti. Miſeram mortalium conditionem quæ mortis imperio duriſſimo ſubiacet & ad eius nutum ſine diſcrimine vitam hanc & lucem deſerit. Quid agas? hoc iuris habet, æquo animo ferenda eſt. Siſte tamen lachrymam, detege genas madentes BOGVSSORVM ſanguis generoſiſſime HELIZABETH, lectiſſima coniunx Magni SIGISMVNDI. Satis iam ſatis imbrium, ad ipſius è vita exceſſũ effudiſti: quid? dies iſte vltimus infælicitatis humanæ, primus illi & fauſtiſſimus, iam ex hoc omnium calamitatum oceano in fæliciſſimum tranquillitatis beatæ portum tranſuectus,

ſub pedibus videt aſtra labentia. Deſine & tu digniſſima tanto Parente progenies, deſine inquam aliquando indulgere fletui, oculis præ dolore caligantibus illum cælo inuidere, quid? vobis Nilus diuite & fæcundo manans alueo, qui veſtræ iuuẽtutis agellum conſilijs ſapientiſſimis erudiendo oblimrabat fluere deſijt! Atqui de illis beatarũ mentiũ ſedibus veſtras actiones, veſtras cogitationes paterno oculo conſiderans flumine fęlicitatis irrigabit. Hiccine eſt ille defuncti amicus, ille inquã vir MARTINVS SZYSKOWSKI Magnus Plociæ Epiſcopus: itanè potuit vultum ſapientis cõcitare fortuna, potuit concitare, non tamẽ ſuperare: Scilicet viri etiam perfecti dolorem ſentiunt neceſſario, niſi ſe homines eſſe obliuiſcantur: qui cũm vnum in rebus humanis amicum plurimi faciunt; ita vnius iſtius iactura commouentur. Tu verò peculiarem habes dolorem Religioſiſſime Antiſtes, quia cecidit, per quem ſtetit foro iuſtitia, literis decor, religioni nitor, & qui tibi olim voluptati fuerat nunc etiam ornamento, Sed ſatis querelarum, ecce ille, lutea compage ſolutus, tui & tuorum amiciſſimum patronũ aget apud Deum, ob fides ſeruatæ & nunc amicitiæ accipe filios. Et tu clariſſimum decus Illuſtriſſime Comitum de Tarnow Staniſlae, in lachrymas ſolueris, quod amico-

rum

rum amicissimum, & amatorem fidissimum, cum quo coniunctissimè semper vixisti amittas: præsentiam quidem tibi subtraxit suam, fidem nõ soluit, eundem amicum iuratum, amicitiæ Sacramento obstrictum, in omnem æternitatem habebis. Video & te inter mœrentes amicos Magne magni Imperij Polonici Cancellarię FELIX KRISKI, & iure, honoris enim & dignitatis tuæ amplificatore, tuorum in Rempub: meritorum præcone ac buccinatore te carere vides. Forti animo fer (vt facis) quod vitari non potuit, & concitato ad amplissimos honorum gradus cursu, præclarissimis tuis contentionibus perge & completo, perfice immortalem gloriam, (quæ est amplissimum rectè factorum præmium) relaturus. Nec tuum dissimulare possum vulnus Illustris Nicolae de Komorow Comes in Liptow & Orawâ, vir re bellica clarissime: Parentem enim dulcissimum desideras, sed quem casus inopinatus abstulit, eundem amor & pietas restituet tua, mortuus alijs tibi nunquam morietur, quin ipsius nomen in tuis factis & egregijs pro Repub: facinoribus æternum viuet, & cum te suorum factorum imitatorẽ ex illo cælesti domicilio contemplabitur, gloriabitur multum, vt verè expressa sui in te imagine. Cessate à plangore consanguinei, affines, cognati, vo-

ti, vosque appello PRZEREBIORVM peruetusta Domus, quæ olim me quoque tuo in gremio fouisti, vestrum asyllum tutissimum, vestrum iubar splendidissimum ex hac vita migrauit in aliam longè beatiorem. Nescio quam adhibeam dolori vestro prorsus immedicabilem medicinam, consoler vos? ipse solatij indigus, acerbum hoc funeris huius vulnus in me ipso recrudescit, vobis vobis ipsis accepta plaga insanabilis, ac mortifera est, vt sanari non posse videatur. Hoc vnum duntaxat memineritis communem hanc in nos omnes à Supremo illo Imperatore DEO dictam legem; quam natura in corporibus nostris, in sensibus nostris insculpsit, & quod grauissimum statuit commune fecit, vt crudelitatem fati consoletur æqualitas. Redeat solitus vester splendor ô Senatorij Ordinis lumina, quid oculos vestros alleuatis? aures erigitis, sapientissimum consilium ex ore Consiliarij præstolamini? quid cogitationibus defixi hæretis? videtis vno eodemq; funere, quàm multorum concluduntur funera: at vobis pulcherrimum, esse vnum è lectissima Corona, inter illas sempiternas mentes quæ beatitudinis iucunditate fruuntur æterna. Meruit hoc illius virtus, illius pro Patria continuus & maximè anxius labor, inflammatus semper animus a-

amore boni communis; non legistis? ijs qui Rempub: auxerint, consilio adiuuarint, certum ac definitum esse in cælo locum. Incredibilis Reipub: & vestrûm omnium luctus, me in has orationis concisæ angustias detrusit, & tanquam quibusdam cancellis circumsepsit, extra quos egredi non licet, ne fortè virtutum eius altissimarum cõmemoratione nouum in animis vestris excitẽ dolorẽ. Sed amẽs essem & crudelis, si vestras in tanti viri funere (qui propter suam dignitatẽ videbatur mori non debuisse) lachrymas cohibẽdas esse putarem. Dolete mortem eius vobis immaturã, Patriæ inopportunam, qui etiamsi naturæ satis vixisse videbatur, glorię plus quàm satis, Patriæ tamen non satis, bonis omnibus, afflictis, miseris, vtinã nunquam moreretur. Tune hoc & tam alieno Reipub: tempore, nos desertos á te voluisti? dies tibi quidem fælix, quo caducas istas & fluxas res æternis rebus commutasti: at nobis infelix, qui fati crudelitate te rerum nostrarũ tutelari & præside spoliamur. Dabitis hanc dolori meo, concedetis perturbato animo veniam, si cuius perfectissimum & absolutissimum exemplar expressisse debebam, eius vobis vmbram tãtum & somnium funesto & lugubri penicillo spectandũ proposui, vmbra est, in cinerem & fauillam redactus est: huc

ille deflexit Heros, cuius virtus; domi, foris, in sago, & in toga, in Patria, apud exteros, vbique clarissima illuxit, qui oculum vigilantem, nunquam à Reipub: salute dimouit, cuius liberalitas vnicuique liberalis patuit, cuius auxilium omnes calamitosos de fortunæ iniquitate subleuauit. Talem & tantum nõ defleamus virum? quem sola terrarum vltima infelici rumore de ipsius morte accepto, luxisse dicuntur, cuius occasum muti tẽplorum parietes, testes, ipsius in se munificentiæ deflere videntur, ad cuius decessum Diuinus Apollo, comam suam flauentem puluere respersisse & omnem eruditorum virorum Ordinem commonuisse dicitur, vt amisso sui honoris propugnatore, & defensore, orationem suam in luctum & lachrymas solueret. Nihil dico quàm insignem calamitatem ex morte Patroni sui Religiosorum sacratæ domus acceperint, quibus si ratio & oratiò præsto esset, hac voce dolorem suum testarentur. Quantum auri & argenti, quantum ornamẽtorum in templis, quantum alimenti in claustris nostris habuimus, id omne ex singulari MYSCOVII benignitate nos accepisse profitemur, eô mortuo, quid nobis expectandum est nisi mors: si in cuius gratia spem nostram collocaueramus, vnà cum fructu emarcuit. Nec sacratæ modo domus,

de sua

de ſua orbitate conqueruntur, ſed prædiorum, oppidorum, ſpecies illæ perilluſtres, illum ſuũ ſplendorem, illam ſuam dignitatem & tranquillitatem, huic ſoli acceptam debere ſe proteſtantur, nunc exangues, ſquallore & turpi ſitu obductæ, tam beneficum & ſalutarem conſeruatorem ſuũ deſiderant. Sed quorſum lachrymæ veſtræ? ſiue ob MYSCOVIVM virtutis amatorem ſiue ob veſtram fortunam fruſtra effunduntur. Etenim qúamuis ille hanc naturæ legem per mortẽ expleuiſſet, quamuis tributum hoc mortalibus omnibus impoſitum perſoluiſſet, maxima tamen eiu- pars vitauit Libithinam, viuit viuetque eius gloria & fama, occidere non poterunt diuinarum virtutum ſpecimina, quin magis rerum geſtarũ magnitudinem repetens poſteritas admirabitur; nec enim iſtis anguſtis carceribus quibus corpus, rectè factorum memoria cõſtringitur. Itaque dum alij obeliſcos, ingentia geſtorum ſuorum conſtituunt trophæa, ad populi fauores colligendos MYSCOVII nomen ære perennius, in omnẽ durabit æternitatem, & quantum illis detrahet omnia conſumens vetuſtas, tantum iſti addet ad gloriam ſempiternam, rerum præclarè geſtarũ magnitudo.

✠